Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 735
Quelle:
Copyright:

CCCXXXIX.

R. 3256 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 190. f. max. per duas columnas pulcherrime ſcriptus, rubricis diſtinctus, et ſingulis Librorum initiis veluti Porticibus picturatis viſendus, quibus Tituli literis uncialibus laeta colorum varietate impoſiti ſunt, continet praeter Παρεργα inferius adferenda S. *Auguſtini Libros XXII. de Civitate Dei* magnifice praenotatos: *In Nomine Domini Incipit Liber De Civitate Dei Sancti Auguſtini Epiſcopi Mirifice Diſputatus Adverſus Paganos Et Hereticos Et Demones Eorum Ab Exordio Mundi Usque In Finem. Amen.* Qua ratione factum, ut ſalvo hujus tituli folio ſequentes aliquot Membranae exciderint, ignoro. Interim, quae *Libri* I. ſuperſunt, ab his verbis incipiunt: *alioquin ab hac turpitudine paterno ferro filium liberaret.* Leguntur haec in Edit. *Maur. Pariſ.* T. VII. 1685. ſub finem c. 23. *col.* 22. quacum collatus Textus noſter ſatis ſincerus eſt. A *Libro* XI. incipiunt praefigi *Capitularia*, et hic inſcribuntur: *Incipiunt Capitula Sequentis Operis.* Non certe novi, ſed *Partis alterius* totius Tractationis, ut Autor ipſe L. II. *Retract.* c. 43. adpellat. *LL.* tamen XIX. et XXI. *Capitulari* carent. Litera capitalis L. X. Abbatem ſedentem, pedo inſtructum, lacerna alba, qua vulgo *Flocco* dicta in choro *Ciſtercienſes* utuntur, indutum, et librum apertum in gremio tenentem exhibet, cui inſcriptum:

Ciuis catholicus Folknandus jam moriturus
Hunc ſcribi librum communem iuſſit in uſum.

In ora infera alius quis alterum librum oſtentat, in quo legas:

Obſecro te, memor eſto mei, memor eſto —

ultimum Antibacchium Compactor oſcitans ita praecidit, ut non niſi extremam ſyllabam *mi* divines. Nomen Scriptoris fuiſſe cenſeo, fortaſſe *Wilermi*, aut quid ſimile. Quis vero *Folknandus* ille *Ciuis Catholicus?* Adi Ill. *Valvaſorii Carnioliam* lingua germ. ſcriptam T. II. L. 8. §. 4. p. 696. f. et invenies *Folcandum Sitticenſis* Coenobii Ord. *Ciſt.* ſecundum Abbatem, qui cum ab a. 1150. usque ad a. 1180. praefuerit, Codicemque noſtrum *jam moriturus* ſcribi juſſerit, de Scriptionis aetate conjectura probabilis fieri poteſt. At cur hic Abbas *Civis catholicus* adpellatur? Memento, id fieri in Opere *de Civitate Dei*, cujus proinde *Civem* ſe *Folknandus* profiteri voluit. Ejusdem juſſu alium itidem Codicem a *Pentateucho* exorſum et inter *Hierographicos* a me hoc *Vol.* relatum, ſi placet, confer.

Prae-